

LUCII III. DECRETA.

I.

Ad magistrum et fratres militiae S. Jacobi. — De cohabitatione clericorum et mulierum.

Vestra duxit devotio inquirendum ut consulamus fratribus vestris parochiales ecclesias adeuntibus, quorum clerci concubinas habent, de hoc enim diversæ videntur sacerorum canonum sententiæ emanasse; alicubi enim dicitur: Nullus audiat missam presbyteri, qui indubitanter concubinam habet; alibi non potest aliquis, quantumcunque pollutus, Dei sacramento polluere, quæ purgatoria sunt cunctarum cogitationum, etc. Quia omnia in si te Christi purgantur. Cæterum aliud est quando crimen notorium non diffitetur presbyter, vel de ipso canonice est condemnatus; aliud est cum penitus est occultum, vel adhuc ab Ecclesia toleratur. Item a talium officiis abstinere ut peccandi licentia aliis auferatur, et ad dignæ pœnitentiæ fructum attrahantur. Aliud si

A tanquam innocentium ministeria reputantur. Siue dubitatione itaque teneatis, quod a clericis, et presbyteris, quamquam fornicariis, quandiu adhuc celantur, nec opus evidentiam habet, licite audiantur divina officia, et alia suscipiantur ecclesiastica sacramenta.

II.

Ad Norvicensem episcopum.

Quæsitum est a nobis ex parte tua, si judex ordinarius, vel alias, cui judex delegatus mandavit partes citari vel ut exequatur sententiam, delegato judici teneatur obedire. Cum autem non sua, sed delegantis vice fungantur, et cum jurisdictione delegatur, omnia delegari quæ ad jurisdictionem faciunt videantur, merito delegatus potest tam ordinarium, quam alium cui mandaverit cogere ad efficiendum quod præcipitur, et ei qui obedire contempserit pœnam infligere competentem.

VARIORUM AD LUCIUM III PAPAM EPISTOLÆ.

I.

Bertrandi episcopi Agennensis ad Lucium. — Quod Henricus rex Angliae junior sepulturam elegit in ecclesia Rothomagensi.

(Circa annum 1182.)

[MARTEN., Ampl. Collect., I, 951.]

Beatissimo domino et Patri suo Lucio, per Dei gratiam universalis Ecclesie summo pontifici, B., Dei et sua miseratione Agennensis Ecclesie humilis minister, salutem et promptam cum debita subceptione ad quæcumque possit obsequia voluntatem.

Ex Scripturarum testimonio didicimus et illum per quem veritas occultatur, et per quem mendacium profertur, eidem pœnæ obnoxios. Hinc est quod nos ad petitionem clericorum Ecclesie Rothomagensis de sepultura regis Henrici junioris, ne per nostram taciturnitatem justitia sustineat detrimentum, beatitudini vestrae veritatem rei gestæ significamus. Noverit itaque vestra paternitas quod, cum de mandato domini regis patris sui II. intuitu pacis reformandæ ad ipsum venissemus, eum in lectum ægritudinis decumbentem invenimus. Qui cum a nobis extremam unctionem et alia quæ in extremis agentibus ministeria solent exhiberi, cum summa humilitate ac devotione receperisset, tandem

C apud ecclesiam Beatæ Mariæ de Rothomago nominatam sepulturam elegit. Verum cùm nos et quamplures alii viri religiosi, attenta difficultate itineris, et loci remotione ei attentius consuleremus ut apud monasterium de Grandimonte eligeret sepulturam, nullatenus eum a suo potuimus proposito revocare. Quid inde sit faciendum gloriosa vestrae sanctitatis providentia moderetur. Conseruet Dominus sanctitatem vestram incolumem per multa tempora.

II.

Odonis ducis Burgundiae ad eumdem. — Ejusdem argumenti.

[Ibid.]

D Sanctissimo Patri et domino Lucio, Dei gratia summo pontifici, et omnibus fidelibus ad quos praesens scriptum pervenerit, Odo dux Burgundiae, salutem.

Ad vestram, Pater sancte, omniumque fidelium volo notitiam pertingere, me interfuisse, et audisse quando Henricus rex, Henrici regis Angliæ filius, in extremis agens, elegit sibi sepulturam apud Rothomagum, rogans pluvium ut in civitate Rothomagensi in ecclesia cathedrali sepeliretur, etc.

III.

Castellani Sancti Audomari ad eundem. — Ejusdem argumenti.

[*Ibid.*]

Venerabili Patri et domino L. Dei gratia summo pontifici, castellanus Sancti Audomari, salutem et reverentiam debitam et devotam.

Constat sanctitati vestrae me interfuisse et audisse quando Henricus rex, Henrici regis Anglorum filius, in extremis agens, elegit sibi sepulturam in civitate Rothomagensi in cathedrali ecclesia, corpusque suum eo usque deferri suppliciter exoravit. Bene valeat sanctitas vestra nunc et semper.

IV.

R. ducis Narbonensis ad eundem. — Ejusdem argumenti.

[*Ibid.*]

Reverentissimo in Christo Patri suo et domino L., Dei gratia Romanorum pontifici, R. per eamdem gratiam dux Narbonensis, comes Tolosanus, marchio Provincie, salutem et seipsum.

Paternitati vestrae his praesentibus apicibus significamus nos morti regis Anglie junioris interfuisse, qui, nobis audientibus, in ecclesia Rothomagensi sibi elegit sepulturam, licet a pluribus rogaretur vel moneretur ut in ecclesia Grandipontis sibi sepulturam eligeret, nunquam potuit revocari a proposito suo, quin in ecclesia Rothomagensi iuxta sepulturam avunculi sui Guillelmi sibi sepulcrum collocari precaretur, etc.

V.

Rolandis, Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, et Silvani, Rievallensis abbatis, legatorum apostolicæ sedis, ad Lucium. — De negotio episcopatus S. Andreæ in Scotia.

(Anno 1182.)

[*MARIQUE, Annal. Cisterc., III, 119*]

Reverendo Patri et domino LUCIO, Dei gratia summo et universalis pontifici, ROLANDUS, eadem gratia Dolensis electus, suæ sanctitatis servus, et alumnus apostolicæ sedis, subdiaconorum minimus, et Silvanus, dictus abbas Rievallensis, debitæ subscriptionis reverentiam.

Cum litteras quas Hugo episcopus redarguerat falsitatis, eidem episcopo cedissemus, et eas in quibus processus rei continetur, acceptaque a domino rege Scotorum licentia, recedere cum festinatione vellemus, dominus rex me Dolensem electum diligenter et affectuose rogavit ut per dominum Joan. episcopum transitum facerem, etsi ex parte sua Dunkeldensem episcopatum cum redditibus quos antea in episcopatu Sancti Andreæ habuerat, cum augmento quadraginta marcarum annuatim percipi-

A piendarum, cancellariam quoque reglam in signum dilectionis offerrem; adjecitque se ei et suis omnia ablata redditum, præter hoc solum quod ad manus ejus devenisse sciebat, eumque in plenitudinem suæ gratiae recepturum, sicut antea fuerat ei oblatum. Volebat tamen quod idem Joannes episcopus omnia instrumenta sua combureret, quæ super factio Sancti Andreæ fuerant a pia recordationis Alexandro prædecessore vestro obtenta. Permittebat quoque quod Hugo episcopus ad Glascuensem episcopatum transferretur, si aliter episcopus Joannes consentire non vellet. Et si fieri non posset, tamen concederet, quod obtulerat: sed episcopum Joannem non ita diligeret, nec ei plenam gratiam redderet. Quæ omnia, cum in præsentia domini Hugonis Dunelmensis episcopi obtulisset domino Joanni, benignè concessit, dicens tamen quod nunquam Hugonem episcopum in Ecclesia Sancti Andreæ permetteret remanere. Volebatque quod instrumenta prædicta in aliquo loco reponerentur, ita quod nunquam sibi contra voluntatem regiam eis uti licaret.

Sic igitur ad regis præsentiam redeuntibus uobis, episcopo Joanne prope Rokelburg spectante, dominus rex proposuit nobis quod multum ei placeret si Hugo episcopus posset in Ecclesia Sancti Andreæ remanere; et rogabat me ut episcopum ad hoc inducere laborarem. Et cum ego dicerem ei quod nunquam eum de cætero super hoc rogarem, quia non poteram in hac parte prosilere, dixit: « Bene credo quod ex quo dominus Joannes ad pacem et dilectionem meam rediit, hoc consideratione meæ dilectionis, et ad precum mearum instantiam sustinebit; et de eo libenter cum eo loquerer. » Et rogavit me rex ut ei consularem quod veniret loqui cum eo. Missis igitur clericis regis ad episcopum Joannem, respondit quod non veniret, quia a quibusdam consiliariis domini regis audiisset quod dominus rex semper ad hoc omnibus modis nitibatur ut Hugo in episcopatu Sancti Andreæ remaneret; et si venire vellet, illi non poterant ei securum præstare conductum. Cumque illi in hæc verba rediissent, dominus rex quemdam episcopum, abbates, comites et barones ad eundem episcopum transmisit, rogans ut locuturus cum eo veniret ad eum; præcepitque eis ut eidem episcopo omnem securitatem præstarent: qui redeentes dixerunt quod dominus Joannes, quia præsentiens quod dominus rex vellet episcopum Hugonem in Ecclesia Sancti Andreæ remanere, respondit se nunquam ad regem venturum, nisi primo jurarent quod dominus rex omnia quæ ei per me obtulerat, observaret; sed jurare solebant: et sic dominus Joannes ad propria remicavit. Nos vero prædictis episcopis Joanni et Hugoni statuimus terminum in Kalendas Octobris veniendi ad vos, et vestro parere judicio. Valete.